



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XXII. JULII.

R

Oma, a. d. 27. Junii.
Superiori solis die
Georgius Eques vi-
gesimum quartum
ætatis annum viuen-
do expleuit; qua-
propter multi præci-

pux dignitatis viri ad eum accesserunt,
conceptissimisque votis pietatem suam
ei probauerunt. Qui nuper ad nos
Vienna accessit Comes Galbesius, ho-
spitium sibi in ædibus Excellentissimi
Cardinalis Cienfuegosii sumsit, coniu-
gique suæ gemmas pretiosissimas ab Im-
peratore Rom. dono datas adtulit.

Mediolani a. d. 1. Julii. Eo quod fa-
ma ad nos perlata est, naues Hispanicas,
quæ in Gaditano exornatæ sunt portu,
vela ventis iam dedisse, quin & copias
quasdam Barcellonæ nauibus breui im-

positum iri, variis ea res occasionem
præbet suspitionibus. Sunt, qui existi-
mant, copias Cæsareas, quæ in Ducatu
nostro dispositæ sunt, nouis accessioni-
bus propediem auctum iri, vt exerci-
tum 35000. in promptu habeamus.
Sex autem legiones Bauaricas in finibus
nostris collocatum iri ferunt.

Neapoli, a. d. 23. Junii. Naues Tur-
carum bellicæ numero octodecim, quæ
in Promontorio *Tandrio*, vulgo *Capo*
Mataban dicto cum omnis generis ap-
paratu bellico hærent, magnum Meli-
tensibus iniecerunt terrorem, iamque
insulæ illius habitatores auxilium a
summo triremium præfecto petiisse di-
cuntur atque rogasse, vt legiones ali-
quot, quæ Syraculis atque Augustæ in sta-
tius præsiidiis sunt, nauibus imponat.

Bononia, a. d. 30. Junii. Proxime
secu-

secutura die veneris, Doctrix Dofia, foemina eruditissima, Dissertationem a se editam Reginæque Hispaniarum inscriptam, publicæ Eruditorum virorum disquisitioni in Collegio Hispanico subiiciet. Solemni huic Disputationi inter alios *Comitem* quoque *Zambeccarium* interfuturum esse ferunt.

Ex Portu Liburno, a. d. 26. Junii. Clafsis Hispanica nauibus constans 18. Gadiibus soluisse iam dicitur, cui octo armatorum millia imposita sunt, nemo tamen adhuc coniectura adsequi potuit, quorsum ea proficisci sit iussa, licet præfecto eius mandata ea de re omnino data iam esse certum sit.

Parisiis, a. d. 3. Julii. Proxime præterlapsa die Lunæ *Eminentissimus Cardinalis Acunha*, itinere per Sabaudiam suscepto saluus ad nos accessit, cui, cum *Versaliam* venisset, regis salutandi facultas fuit concessa. Duos hic propediem *Venetorum Legatos* extraordinarios expectamus, *Tepolum* atque *Foscarinum*, complures enim iam eorum domesticis in urbem nostram accesserunt, *Palatiumque Luxenburgicum* mercede conduxerunt. Princeps *Dolhorukyus*, qui *Legationem nomine Magni Moscouiæ Ducis* apud nos obit, breui in Patriam rediturus est. Comparauit is sibi supellectilem copiosissimam atque pretiosissimam, inprimisque omnis generis pannorum bombycinorum copiam quam maximam in *Moscouiam* secum asportaturus est. Optarent sane mercatores nostri complures istiusmodi sæpiusque in tabernis suis videre emptores, quippe quum ab eo plus 50000. librarum gallicarum, pro rebus, quas secum auferet, accepisse dicantur.

Londini, a. d. 20. Junii. Ex *Lusitania* nuntiatum est magnum ibi, ob Hispa-

norum belli adparatum, exortum esse timorem terroremque, ne bellum contra *Lusitaniæ Regnum* exardeat novum. His diebus Rex delectum habuit copiarum tam equestrium, quam pedestrium, in mandatisque simul dedit militum prætoribus, quos ex inferioribus ad superiores euexerat ordines, ut milites præcipue nouiter delectos omni militari erudiant disciplina. Ut ex *Britannia* relatum legimus, medicis ibi hucusque fuisse consuetum variolas inferere pueris puellisue, nova verò sanctione illis ferio id interdictum, hanc inprimis ob causam, quod pleriquè, quibus insertæ fuissent variolæ, fati concessissent. Ex quo tempore multos seditiosæ rebellionis auctores deteximus, illosque comprehensos captosque in vincula coniecimus publica, cessat nunc tumultus omnis miramur sane, cur nefarii isti homines, temeraria utentes ratione, tam scelestæ stulte sint conati, tranquillitatemque turbare publicam, & absente Rege, multitudinem concitare voluerint. Quos hinc inde in terris, quæ nostro parent Imperio, degentes non tantummodo summa cura studioque investigamus adhuc, sed etiam omnia sedulo comparamus, quibus obviamiri possit turbis, quas ex improviso nobis ingruere minati sunt. Equitibus propterea juxta ac peditibus, qui in viciniis Urbis huius distribui fuerant per hospitia, id fuit datum ut in Urbem immigrarent, Regemque cum stirpe sua tuerentur, & nobis, qui a partibus sumus Regis nostri, essent præsidio. Ut e litteris *Vindosorio* adlatis cognoscimus, dux *Malbrugenfis*, gravi ætate profectus, vitam cum morte commutavit, qui *Vnus* fere omnium, qui virtutibus maxime florebat, accidit propterea illius mors plerisque peracerba & luctuosa. Naves illæ duæ

incendio ex improvise deletæ, altera nomen divæ gessit Mariæ, cui Buchotius præerat, altera vero nomen philomelæ, præfectum habens prætorem Richardum. Convivium, quo Cadaganus, Comes, excepit Regem, librarum æstimatur nongentarum; Rex sub tentorio, quo Eugenius Princeps, anno 1697. ad Szentam potius erat in prælio magna cum animi delectatione cibum sumsit, fuerunt præterea viginti & tres, quibus ejusmodi honos factus, ut sub eodem cum Rege usi sint cibo. Alia præter hoc, duo visa sunt tentoria, in quibus reliqui Regis amici, & militum prætores, & alii in summa constituti dignitate viri more habiti sunt aulico; dici vix potest quanta confluerit multitudo hæc solemnia visum. Ex Hispania certiores facti sumus, litteris illinc adlatis, Regem Hispanorum, omnes, hucusque cum Barbaris sanctione aliqua plane interdixisse negotiationes merciorum, hanc imprimis ob causam, quod morborum vis maxime pestifera adversus omne hominum genus grassari de novo cœperit.

Alia, a. d. 28. Junii. Nudius abhinc tertius, inclinatio iam in tempus post meridianum die, Rex noster una cum Principe Valliæ, comitantibus sexaginta Ducibus ac Proceribus, quos *Pares* vocant, quamplurimis item Magnatibus aliis, in castra, quæ in viuario Heyde Parc dicto posita sunt, se recepit, quindecimque ibi collocatas legiones pedestres lustravit, quas, quia omni militari disciplina eruditas exercitatissimasque vidisset, magnopere collaudavit. Tantus vero ad hanc lustrationem undique concurrerat omnis generis hominum numerus, quantus vix unquam alias in quibuscunque solemnibus confluere solet. Currus no-

biliores atque splendidiores, conductiis exceptis plus minus 1200. numerabantur. Quia vero in eandem diem natalis Equitis Georgiani inciderat, plurimi illorum qui rebus eius student, solemniter eum concelebrare volebant, eaque propter in publicis urbibus nostræ plateis comparuerunt, & viri quidem albas rosas pileis insertas, foeminae vero flores eiusdem coloris fasciis pectoralibus implicatas habuerunt; compluribus tamen ex eo numero comprehensis atque in vincula publica coniectis, ceteri domos suas se receperunt.

Hagæ Comitum, a. d. 27. Junii. Princeps Kurackinius Magni Ducis Russiæ legatus, *Marchioni* Montelonio, cum in colloquio apud eum fuisset, indicavit, rebelles Persas, prostratis copiis regiis, nuntios misisse ad Astracani regni præfectum, qui ei de reportata victoria nuntiarent, simulque, ut iis auxilio veniret, rogarent, id enim si fecerit, ultro se imperio eius semet subiecturos. Atque hanc esse causam, cur Magnus Moscoviæ Dux, tanta usus celeritate, Astracanium esset profectus, ne scilicet occasionem subigendi sub imperium suum illius populi, ultro oblatam negligeret.

Holmiæ, a. d. 18. Junii. Nudius abhinc tertius Bestuchesi, Russorum legatus, cum Senatoribus Regni, ab hora 9. usque ad 11. in colloquio fuit, consiliaque de rebus maximi, monenti contulit. Post colloquium cursorem statim extraordinarium in Moscoviam misit. Vix autem effluxerat horæ quadrans, cum nuntius ex Moscovia missus litteras ei adtulisset, quibus sine mora perlectis, cubicularium suum celeriter misit, qui equo insidens velocissimo, cursorem dimissum sequeretur ac revocaret,

quem

quem ille, cum iam tertio ab vrbe effet lapide, adsecutus est, atque vti in mandatis acceperat, reduxit.

Dresda, a. d. 2. Julii. Die abhinc tertia, Augustus Poloniarum rex Saxoniaeque *Electo*r, cum nonnullis Aulæ Ministris, Warsauiam profectus est.

Wratislauiæ, a. d. 6. Julii. Hesternadie accesserat ad urbem nostram Augustus Rex Polonorum; hodie autem curribus cursoriis, vectus, qualibus & ad nos venerat, Warsauiam discessit.

Posonii, a. d. 22. Julii. Augustissimus Imperator, Rex noster indulgentissimus posteaquam dies vudecim apud nos commoratus esset, Superiori die Veneris, hora quinta postmeridiana hinc discessit. Ante abitum suum *Inclytis* Regni *Statibus & Ordinibus* adeundi se potestatem fecit, oblatamque illam Sanctionem, *Articulum* vocant, qua Successio hæreditaria in fœminas *Archiduces* Austriae transcribitur, benignissime ab iis accepit, atque bene sperare iussos, multis cum clementiæ significationibus a se dimisit. Altera post die Tabulæ illæ, *Credentiales* dicunt prælectæ sunt, quibus Rex indulgentissimus, agendum cum *Inclytis* Statibus potestatem Excellentissimo *Comiti* a Staremberg &c. nec non Excellentissimo *Comiti* Kinskyo &c. adtribuit. Ceterum spes est, fore, vt Rex indulgentissimus exeunte Mense Augusto ad nos redeat. Interea Status & Ordines *Inclyti* consultationes suas quam sollicitissime instituunt. Eminentissimus Cardinalis de Saxonia hesternadie Tyrnauiam ad *Archiepiscopem* suam discessit.

Sequuntur *Propositiones* reliquæ ab indulgentissimo Rege *Inclytis* Statibus & Ordinibus publice oblatae, quas nuper ob Chartæ angustiam

adponere omnes non potuimus.

6. Magistratus Comitatenfes clementer a Rege benignissimo admonentur, ne publica tributa cum censibus priuatis misceri patiantur, quod iam tum *Articulo* 51. Anni 1715. fuit cautum.

7. Quia publicam incolarum domum, quæ ab aliquo tempore monetariæ rei fuit destinata *Statibus & Ordinibus* restituendam curauit Rex Optimus, vt in eadem Tabularium seu *Archium*, constituant, in quo omnis generis *Acta publica, Instrumentaque litteralia* in posterum conseruentur, paterne hortatur *Status & Ordines* congregatos.

8. Quia Legata illa seu *Fundationes* *pias*, de quibus *Articulo* 74. Anni 1715. fit mentio, non ad mentem piorum fundatorum administrari, paucioresque quam par est, in Seminariis eiusmodi, tenuioris fortis nobilium filios, & alios sacris muneribus destinatos iuuenes alii, intellexit Rex indulgentissimus, vt huic quoque malo *Status & Ordines* medeantur, & si quid *Articulo* 74. Anni 1715. addi hac in re visum fuerit, deliberent, bonoque publico consulant, etiam atque etiam monet.

9. Seria etiam est Regis benignissimi voluntas, vt de conseruando publicis sumtibus ad urbem Posoniensem ponte, quo Regnum sine magno incommodo carere nequit, in presentibus comitiis constituatur.

P. 8. Complures iterum ante octiduum in Nouis nostris reperiebantur errores a typhotheta commissi, quos propter temporis breuitatem emendare non licuit. Extantiores ita corrigi oportuisset. *Paginarum* numerus esse debet 281. 282. 283. 284. *Pag.* 283. a. lin. 7. *Senatiam* legendum Scaniam. Eadem *pag.* 2. a. fine linea. *Hungaria se tototus* leg. Hungari se totos.